



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Prælatiſ Eccleſiarvm Patriarchæ non ſubjectarum Conſtantinopolim.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

*PRÆLATIS ECCLESiarVM  
Patriarchæ non subiectarum  
Constantinopolim.*

*Epist. 19.  
De eadem rc.*

**S**ignificavit nobis venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha quòd vos interdum commorantes in parochiis sibi subiectis excommunicatos ab ipso & interdicto suppositos nominatim recipitis ad divina, propter quod dissolvitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Quocirca præsentium vobis auctoritate mandamus atque præcipimus quatenus parochianos Ecclesiarum quæ ipsi subiectæ sunt Patriarchæ, cum ab eo excommunicati fuerint vel interdicto suppositi, recipere ad divina vel eis sacramenta ecclesiastica exhibere nullatenus præsumatis. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Archiepiscopo Variensi & Episcopo Panidensi nostris damus litteris in mandatis ut vos à præsumptione huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant. Datum ut in alia.

*UNIVERSO CLERO ECCLESiarVM  
à patriarchali iurisdictione non exemptarum  
in Constantinopolitana diocesi commoranti.*

*Epist. 20.  
De eadem rc.*

**D**ivinæ ordinationi videtur resistere qui potestati resistit, cum potestas quælibet sit à Deo, à quo sunt omnia ordinata. Non ergo debet aliquis erubescere prælato sibi à Deo humiliter obedire, cum Dei filius Iesus Christus, ut patri fieret obediens, in altitudinem venerit huius maris, & se ab ipsius permiserit tempestate demergi, ne si secus præsumpsit, in illius transferatur imaginem qui solum suum ab aquilone voluit collocare. Cum igitur venerabilis frater noster Constantinopolitanus Patriarcha vobis disponente Domino sit prælatus, universitati vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus ei tamquam patri & Episcopo animarum vestrarum humiliter intendentes, impendatis sibi canonicam obedientiam & honorem, scituri quòd si secus præsumpseritis attentare, nos id clausis non poterimus oculis pertransire. Datum Laterani Nonis Martij, an. undecimo.

*CARISSIMO IN CHRISTO  
filio illustri Constantinopolitano Imperatori,  
& nobilibus viris . . . . nibus Venetis &  
universo populo Constantinopolim commo-  
rantibus.*

*Epist. 21.  
Vt consilium  
& auxilium*

**C**Vm vestræ utilitati expediat & honori ut Græci tam clerici quàm laici ad

sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ ac venerabilis fratris nostri Patriarchæ Constantinopolitani obedientiam redeant eumque patrem habeant & pastorem, universitatem vestram rogamus attentius & monemus, per apostolica vobis scripta mandantes quatenus super hoc Patriarchæ prædicto consilium & auxilium impendatis, sententiam quam in Græcos rebelles propter hoc rationabiliter tulerit firmiter observantes; ut devotio vestra clareat in affectu, & oberrantes ovicula redeant ad pastorem. Datum ut in alia.

*PRIORI PISANORVM.*

**A**d audientiam nostram venerabili fratre nostro Patriarcha Constantinopolitano significante pervenit quòd eo & aliis Episcopis præsentibus pueros præsumis unctione sacri chrisimatis confirmare; quod etsi dicas aliquando tibi fuisse ab apostolica sede concessum, nos tamen tibi ne illud faceres curavimus inhibere. Cum igitur huiusmodi confirmatio puerorum ad Episcopos tantum pertinere noscatur, auctoritate tibi præsentium districtius inhibemus ne de cetero pueros aliquatenus confirmare præsumas. Alioquin sententiam quam in te propter hoc Patriarcha prædictus rationabiliter promulgarit ratam habebimus, & faciemus eandem auctore Domino firmiter observari. Datum ut in alia.

*PATRIARCHÆ  
Constantinopolitano.*

**E**X parte tua fuit propositum coram nobis quòd quidam Episcopi Græci ad tuam obedientiam redeunt, fidelitatis præstiterunt tibi corporaliter iuramentum, nobisque obedientiam promiserunt, sed inungi renuunt juxta consuetudinem Latinorum. Vnde quid super iis agere debeas postulasti per sedem apostolicam edoceri. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si ij qui jam consecrati sunt induci nequeunt ut recipiant unctionem, id in hac novitate sub dissimulatione poteris pertransire. Consecrandos verò nullatenus consecres, nisi more Latino voluerint consecrari, cum nos ipsi Græcos non nisi juxta nostram consuetudinem consecremus. Datum Laterani viii. Idus Martij, anno undecimo.

